



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola CXXIV. Gregorii Papae I. Ad Asclepiodotvm Patricivm. Hilarium
commendat, vt eius patrociniū suscipiat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLA CXXIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD VANTILONVM ET AREGIVM.

Hilarium commendat, vt illi suum patrocini-
um impendant.*Gregorius Vantilono & Aregio.*

AD magnam gloriæ vestræ laudem accedit, quod Hilarium præsentium lator valido se fudit patrocini-
o releuari, si assequi fauorem tuitionis vestræ meruerit. Quod
adeo, sicut est, magnum existimat, vt ad hoc obtinendum
etiam nostram sui commendationem adhibere studuerit
adiutricem. Hunc igitur quoniam ad vestrum patroci-
nium videmus desideranter velle confugere, scribere pro
eo non iudicauimus differendum; confidentes tanto vos
defensionem petentibus libenter impertiri, quanto &
eam in tristitia, & in stricto positos cognoscitis suppliciter
expectare. Ea de re gloriam vestram paterna dulcedine sa-
lutantes, petimus vt quia prædictus portitor aliquorum
inimicitias se contra rationem asserit subiaccere, patroci-
nium vestrum quod magnopere cupit inueniat, & nullam
illum contra æquitatem molestiam, nullam vexationem
patiamini sustinere; sed ab omni eum afflictione, quam
non ratio, sed aduersantium voluntas ingesserit, patroci-
nii vestri gratia tueatur; vt & hic optatum se in vobis, vt
sperat, lætetur inuenisse refugium, & aliquid vobis ad
mercedem proficiat, ac vestrum quidem in nobis alii si-
militer quærere discant in tribulatione solatium.

EPISTOLA CXXIV.

GREGORII PAPÆ I.

AD ASCLEPIODOTVM PATRICIVM.

Hilarium commendat, vt eius patrocini-
um suscipiat.*Gregorius Asclepiodoto patricio in Galliis.*

QVI terrenis regibus adhærent, quantum eis præstan-
di locus conceditur, tanto debent in causis mercedis
proniores existere, vt fructu boni operis & hic eorum qui-
bus seruiunt gratia perfruantur, & cælestis regni aulam in-

troire postea mereantur. Vnde licet hoc diligere, & in hoc
 vose esse confidamus intentos: verumtamen quia pater-
 num alloquium aliquid bonis mentibus semper addit, hor-
 tamur vt quoties congruum iuuandi tempus adstiterit,
 nequaquam quod operandum vobis est differatis. Nam
 qui fratrem luctu releuat, oppressum erigit, mœrentem
 consolatur, ab illo sibi retribui, cui totum impendit, non
 dubitet, quia ait: *Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* *Matth. 25.*
 Quia igitur Hilarius presentium portitor, pro eo quod
 frustra contra se quorundam perhibet inimicitias exarsisse,
 vestra se tuitioni nostra petiit epistola commendari,
 certus quod patrocinantibus vobis cuiusquam contra ra-
 tionem aduersitas ei nocere non valeat; idcirco paterno
 gloriam vestram salutantes affectu, petimus vt fauoris ve-
 stri gratia muniatur, & quod ceteris iusta petentibus in-
 dulgetis, huic quoque pro nostra intercessione largius im-
 pendatis; atque eum contra æquitatem opprimi non sinatis,
 sed manum illi auxilii, vbi rationis ordo vocauerit,
 porrigatis; quatenus mercedem gloriae vestrae & ipse in
 vobis quod omnino ardue quaesiuit inueniat, & vos affli-
 cto & humiliter supplicanti videamini, quod valde glo-
 riosum est, subuenisse.

EPISTOLA CXXV.

GREGORII PAPÆ I.

AD CLAVDIUM IN HISPANIIS.

Ei familiariter regibus Gothorum vso Cyriacum mona-
 chum commendat.

Gregorius Claudio in Hispaniis.

QVIA vnguenti more bonorum fragrat opinio vestrae
 gloriae, de occidentibus partibus hucusque odor te-
 tendit. Cuius profecto auræ suauitate resperfus, multum,
 fateor, quem nesciebam dilexi, atque intra sinum cordis a-
 moris manu te rapui; nec iam eum nesciens diligebam, cu-
 ius bona cognoueram. Qui enim mihi magna intentione
 notus, sed corporis visione manet incognitus, de eo pro-
 cul dubio veraciter dicere possum, quia personam illius
 scio, sed domum nescio. Magna autem vestrae laudis da-
 tur assertio, quod excellenti Gothorum regi vestra gloria